

QVÆSTIO IV.

Quare Zachæus potius ascendit in arborem Sycomorum, quam in aliam?

23. ZACHÆVS vir nobilis Princeps publicanorum, & ipse diues, tamen tanto amore ferebatur in Christum, sicque mundus erga hunc diuitem iam vilescerat, vt contempta mundana pompa cotam omni populo non vereretur arborem ascendere, vt Christum videret, ex quo moraliter dicam: omnis homo pusillus corpore est, vt ergo Christum videat necesse est, quod diuina gratia adiunante altius ascendat, terrenaque despiciat, vt diuino aspectu frui mereatur.

24. Pro explicatione quæstionis indagandum est, quænam, & qualis sit arbor? Hæc arbor à Plinio sic describitur lib. 13. cap. 7. Sycomorus, ait, ficus est Ægyptia, cognominata arbor moro similis folio, magnitudine, aspectu. Pomum fert non ramis, sed candido ipso, idque ipsum ficus est prædulcis sine granis interioribus, per quam secundo prouentu scalpendo tantum ferreis unguis, aliter non maturescit. Est ergo Sycomorus ficus Ægyptia, vt etiam docent D. Augustin. citand. Dioscorides lib. 1. de materia medicinali, cap. 144. Theophrastes lib. 4. de Plantis cap. 2. Est arbor similis in foliis moro, & in aliis ficui, stipite tamen, & altitudine distans, vt notat Carthusian. Sycomorus interpretatur ficus farua, vt docent D. August. ferm. 8. de verbis Apostoli; Beda, Haymon, D. Bonauent. Hugo, & alij. Est enim nomen Græcum. Nam Sycos, Græcè, id est, ficus; moros, hoc est, fatuus. Dicitur ficus fatua, quia vt voluit Iansen. Barradas, eius fructus insipidus erat, quia verò Plinius ait, quod eius fructus erat prædulcis. Ideo ergo sic interpretor, quod fructus natura sua erat insipidus, nisi arte, & scalpendo perficeretur. Hæc arbor erat frequentissima in Palestina; de qua 3. Reg. 10. num. 27. & 2. Paral. 1. n. 15. Cedronum præbuit (Salomon) quasi Sycomoros, qua nascuntur in campestribus.

25. De fructu Sycomorum ait citatus Plinius: Scalpendus est ferreis unguis, aliter non maturescit. Vnde ait Amos 7. num. 15. Armentarius ego sum, vellicans Sycomoros. Septuaginta, vellicans, scalpens, pungens Sycomoros. Ficus enim Sycomotum vnguib. ferreis incidendi sunt, vt effluat lac, & tunc ipsi penetrati à sole maturescunt. D. Hieron. & Interlin. in Amos: Sycamina, ait, volunt quidam appellari genus arborum, qua Palestina nascuntur in campestribus, & agrestes afferunt ficus, qua si non vellicantur, amarissimas cariculas faciunt, & à culicibus corrumpuntur. Ex quo

26. Ad quæstionem primam rationem assignat D. Basil. Magn. in cap. 9. Itaque: Vnde & opinamur, ait, hanc arborem symbolum præferre eius congregationis, quam si quis acrimonia Verbi compungere poterit, felici immutatione indulcata conuertitur ad resoluendam Deo gratiarum actionem. Inde Zachæus pusillus Christo exitit gratiofus, quia arborem Sycomorum amplectitur, eamque ascendit, cuius fructus vt maturescant, necesse est, vt ferro scindantur, illi enim sunt gratiosi, ac Deo placent, qui corpus suum cilicio ferreo, ac flagellis cædunt, acrimoniæque verbi Dei animam suam penetrant, vt dulces fructus penitentia ferant.

Qui corpus affigunt, dicit fructus dulces.

Secundò, D. Ambros. hic: Non potest Iesum videre constitutus in terra. Ascendit in Sycomorum, vanitatem scilicet Iudeorum, vestigiis suis proterens. Quos fructus redderet arbor fatua, nisi fatuos; Hinc arbor significabat fatuam Synagogam, cuius filij præ malitia fatui erant. Sic fatui filij Israël non indicantes, neque quod verum est cognoscentes, Daniel. 13. num. 48. Et Synagoga per ficum significatur: Ficus prouulit grossos suos, Cantic. 2. n. 13. Grossus apud Latinos non solum significat fructum illius arboris, sed etiam fructum crassum, rudem, informem, tales enim fructus rudes, rusticos, ac infatios gignit Synagoga. D. Bernard. ferm. 60. in Cantic. Et verè, ait, quid non grossum in gente illa? Nec actus profecto, nec affectus, nec intellectus, sed nec ritus, quem in colendo Deo habuit. Hanc ergo Iudeorum ruditatem, & fatuitatem contemnens Zachæus, vt Christum videat, ascendit arborem.

Tertiò, D. Gregor. Papa lib. 27. Moral. in fine: Pusillus Zachæus, ait, Sycomorum subijt, & Dominum vidit: quia qui mundi stultitiam humiliter eligunt, ipsi Dei sapientiam subtiliter contemplantur. Et statim explicat, quænam sit stultitia mundi: Quid enim in hoc mundo stultius, quam amissa non querere possessa rapientibus relaxare, nullam pro acceptis iniurijs iniuriam reddere? Imò & adiuuatis alijs patientiam præbere. Sycomorus fatuos, & insipidos fructus reddens, stultitiam, ac vanitatem huius mundi denotat, qui ergo mundanam stultitiam conculcat, hic inuenitur dignus, vt ad superna ascendat, & Christum videat.

Quartò, ait Beda, quod Sycomorus adumbrat crucem Christi. Nam vt etiam ait D. Bonauent. Sycomorus dicitur arbor fatua, cum tamen fructus dulces reddat, vt dixi ex Plinio. Sic crux credentes alit, ab incredulis irridetur vt fatua; seu stultitia quædam reputatur, cum sit magnum Dei sacramentum. Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, 1. Corinth. 1. Aliter verò ait Carthusian. Sycomorus est arbor in folijs moro consimilis, & in alijs ficus, per quam significatur crux Christi propter mori rubiginem, & ficos dulcedinem. Dicam tamen, quod cum communiter Patres dicant Sycomorum fuisse Crucis figuram, ex eo mihi videtur, quia fructus Sycomori nobis est dulcis, ac utilis, cum ferro scinditur; sic fructus vitæ nobis exitit saluiferus, ac utilis, cum eius corpus clauis, ac lancea scissum, ac vulneratum est.

Ex quo ait D. Hieronym. lib. de vera circuncif. Sycomorum, ait, qua Dominus erat transiurus, ascendit: tunc velut de cognata necessitate, a crucifigendo conspectus in arbore cognoscitur, & filius dicitur Abrahe. Diuino impulsu ascendit Zachæus Sycomorum crucis Christi habentem similitudinem, vt ex crucis typo oculos diuinos ad se raperet, & vniuersa mala excluderet, ac in salutem saluus fieret.

Ait Regius Vates, Psal. 103. n. 25. Hoc mare magnum, & spatiosum manibus: illic reptilia, quorum non est numerus. Illic naues pertransibunt. Illic reptilia, vertunt D. August. D. Prosper. repentia. D. Hilarius: Serpentes, per quos Dæmones, vitia, contrarietates, ac aduersitates, quæ in homines insurgunt, designantur. Illic naues pertransibunt. Sed quomodo inter dæmones, ac aduersitates, & contrarietates, securæ, & tutæ naues pertransibunt? In ligno nauis crucis figura reluet, sub cuius typo omnia periculo profligantur, ac ab omni

27. Ambros. Dan. 13. Cant. 2. Bernard. 28. Gregor. Mundana vanitas conculcanda, vt Deum videam. 29. Beda. Bonauent. Crux Christi præfiguratur. 1. Cor. 1. Carthuf. 30. Hieron. Crux Christi liberamus ab omni malo. 31. Psal. 103. August. Prosper. Hilari. Crux dæmones, ac omnia mala superantur.

QVÆSTIO V.

Quare ex ascensu ad arborem, Zachæus tantam habuit felicitatem?

August. omni ingruenti malo ferri sumus. D. August. ibi: Repentes tentationes, ait, quis numeret? Responunt, sed caue ne subrepani. Vigiletur in ligno, etiam in aquis, in cruce nauigamus, etiam in fluctibus ruti sumus. Vide in hoc tomo. Et 2. in Indice, Verb. Crux.

Luc. 19. n. 9. Et cum venisset ad locum, suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere.

VERSIONES.

Arabicus. Et cum peruenisset ad locum respexit Iesus in illum.

Vatabl. Pagn. Festinanter descende, hodie enim domi tuæ oportet me manere.

Syriacus. Hodie enim oportet me domi tuæ adesse.

EXPOSITIO III.

32. T cum venisset Iesus, ad locum, in quo erat Zachæus in Sycomoro. Suspiciens Iesus, attollens scilicet oculos non casu, sed alto diuino consilio. Vidit illum; Zachæum nempe; non tantum corporali intuitu, vt ait Carthusianus, sed magis interno pietatis aspectu, quo mentem Zachæi misericorditer præuenit, & illuminauit. Et si fructus Sycomori erant immaturi, tamen Zachæum sic vidit vt fructum proferret, qui mox radijs solis maturesceret. D. Ambros. Zachæus in Sycomoro nouum noui temporis pomum. Et nota, quod Zachæus desiderabat videre Iesum, tamen Iesus prius illum vidit. Theophyl. Priusquam videret, prius ipse spectatur à Iesu, sic enim omnibus in locis præuenit nos Dominus, tantum vt nos alacres, & promptos videat.

33. Ait illi Iesus: Zachæe; proprio compellat nomine, tanquam notum, quem nunquam viderat, nec audierat, quod maximè attraxit animum Zachæi. Festinans descende. Alludere videtur Christus ad festinationem, qua Zachæus præcurrans in arborem ascenderat. Ac si diceret, quemadmodum festinasti vt ascenderes ex curiositate: festina vt descendas, vt ex charitate me recipias. Quia hodie in domo tua oportet me manere. Etsi alia hospitia multa aderant Iesu, tamen hoc elegit eo quod Zachæus suo magno ardore Christum ad se alliceret, vt ait D. Ambros. Nam etsi vocem inuitantis Iesus non audierat, viderat tamen affectum. Quo maximè Dominus afficitur ad misericordiam, & pietatem impendendam. Et nota, quod ipse cupiebat videre Iesum, illius desiderium Dominus superauit, non solum vidit, sed etiam eum excepit hospitio, ipsumque tetigit, illiusque colloquio, ac indulgentia fructus est.

Ambros. Deus plus concedit, quàm desideramus.

34. RESPONDET primò N. D. Cyrill. apud Caietan. D. Thom. Vidit, ait, quidem hominis animam promptissimè nitentem ad sancte viuendum, & eum ad pietatem conuertit. Magno ardore, ac conatu ascendit Zachæus arborem, vt Iesum videret, contempsit humanam pompam, & publicè festinanter arborem ascendit tam promptus, ac efficax hominis conatus in Deum non debuit frustrari, sed multis à Deo prosperari.

35. Ex quo incidentis dubij colligo solutionem. Zachæus in Sycomoro, quæ ficus fatua interpretatur, inuenit salutem, Iudas verò in ficu, in qua appensus crepuit medius, habet perditionem; quod bonis est ad profectum, impii ad ruinam inferuit. Zachæus arborem scandit cum magno conatu erga Christum, Iudas verò fugiens, & declinans à Christo, inde ille reportat salutem, hic verò perditionem.

36. Secundò, D. Laurentius Nouariens. homil. de penitentia: Zachæus, ait, pusillus corpore, factus est præclarus ope. Modicus ascendit arborem; vt videretur à Christo, & publicaretur in mundo. Arbor optabilis salubri medicamine plena, que in solo aspectu subuenit peccatori, & sanctificauit prophannum. Zachæus pusillus & modicus erat, vbi tamen apprehendit arboris ramos, nulla felicitas erga eum potuit tardari, cum enim esset in arbore, sub typo crucis, medicamine plena, statim ipse ab oculis Iesus medicamen recepit, & saluus factus est.

37. Tertiò, D. Hieron. Epist. de duobus filiis: Laurentem, ait, in arbore, quasi in peccatorum tenebris obumbratam sollicitè, vt ouem perditam requirit aspectu. Sic Iesus requisituit Zachæum publicanum latentem in arbore, vt bonus Pastor quæsiuit ouem perditam, & errantem. Inuenit tamen ouem perditam bonus Pastor suscipit humeris, collo fouet, & amplectitur, ne iterum prolapsa erret. At Zachæo nihil eorum sit, sed solum oculos in eum dirigit Dominus. Quomodo ergo ouis perditæ similitudo in eo seruat? Quæsiuit Dominus Zachæum oculis: ipsi oculorum radij præsterunt i omnia adiumenta, ac sustentacula, quæ humeri, collum, ac dorsum præstant infirmo, ne cadat, ac labatur; vbi enim est Diuinus aspectus, ibi est omne firmamentum, ac munimen ad Diabolum, ac eius insidias superandas.

38. Quartò, D. Laurentius Nouariens. homil. de Pœnit. citata: Domine, ait, quid dicis? Publicanus est Zachæus, videre te solum cupit, nunquid de sola visione iam debet saluari? Ascendit in arborem, vt videret, nec dum ingenuit: nunquid confessus est maculam suam, aut flagitia replicauit? Nunquid fletit ante te, & dicit illi: Hodie in domo tua me oportet manere? Vix adhuc vel videre te meruit, & iam angulos eius visitas? Verum hoc officij tui est, & indulgentissime cura. Zachæus non manibus pulsauit pectus, nec ore confessus est delicta, nec pro illis lachrymas fudit, nec misericordiam deprecatur. Præsentauit se Zachæus oculis diuinis, vt vas Spiritus sancti impulsu dispositum, ac prom

Gratia promptissimè descendit in subiectum apertum.

Cyrl.

promptissime nitens, vt ait Cyrill. citatus ad sancta, & inde statim diuina indulgentia oculo- rum icibus sese in illum diffundit, ac cum suis donis replet.

39.

Mandat Deus Samueli, vt accipiat cornu olei, & vnus ex filiis Isai in regem virgatur, in cuius executionem Propheta per singulos filios a ma- iori incipiens discurrit, & cum quilibet ex his fratribus maioribus presentaretur, oleum qui- tum intra vas inclusum retinebatur, & nec mini- ma quidem guttula de illo stillabat; at verò cum venit Dauid, qui solus inter omnes fratres aptus erat regno. Tulit Samuel cornu olei, & vnxit eum, 3.Reg.16.num.12. Vbi accessit Dauid, iam oleum intra vas non tenebatur inclusum, sed iam ebul- lbat, ac effluebat. Quid est quod antea oleum immotum permanebat, modò verò sic effluebat, ac profilit. Adueniens Dauid aduenit subiectum imperio aptum, inde oleum non quiescit, sed foras prorumpere intendit, & totum se in Dau- dem regem consecrandum effundere. Vbi enim adeft subiectum proportionatum, statim in ipsum descendit diuina gratia, vt illum exornet, ac no- bilitet. D. Basilius Seleucus orat. 14. Gratia statim, ait, ad vnctionem mouit manum, nondum cornu immergebatur, & oleum properanter effluebat.

3.Reg.16. Subiectum proportionatum diuina gratia exor- natum.

Basil. Sel.

QUESTIO VI.

Quare Christus Dominus qui omnes inuitat ad crucem, Zachæum tamen mandat descendere ab arbore, crucis typo?

40.

Ratio literalis assignatur in textu, Quia hodie in domo tua oportet me manere. Vo- lebat Dominus in domo eius recipi, & ingredi. Tamen moraliter in quæstionem voca- mus, cur Dominus Zachæo imperat descensum ab arbore, quæ figuram exprimebat, cum Christus Dominus omnes nos ad crucem vocet, & inuitet.

41. Chrysol.

Elegantè respondet D. Chrysol. serm. 50. Si bene ascenderit, ait, quare ei dicitur, descende? Superius dixit, precurrens ascendit, & ante Zachæum ascendit arborem, quam crucem Dominus ascenderet. Hinc est quod dicitur ei: Festinans descende, descende ante Dominum, vt post crucem Dominica passionis ascendas. Optima est crucis ascensio, atque carnis voluntaria afflictio, ac castigatio: tamen vt placeat, debet post Iesum fieri, ad eius imitationem, ac exemplum compo- ni; si quis autem vult carnem suam excruciarì, ac macerari non attendendo ad Iesum, non imi- tando Iesum, minime placere potest. Semper val- de auspiciata est congressio, quæ post principis exemplum fit.

Corporis ca- stigatio fit ad Iesum imita- tionem.

42. Chrysol.

Secundò. Ad eadem verba Chrysol. Antea Zachæus ascendit arborem, quam crucem dominator ascenderet; & hinc dicitur, festinans descende. Li- gnum illud crucis sacrum præfigurabat stipitem. Ascensio autem in crucem ordinabatur ad gene- ris humani salutem, cuius medicina à ligno, Zachæus ascendit arborem, seu figuram Crucis in ordine ad suam medicinam; nam inde habuit, vt à Christo videretur, ac vocaretur; mandat ergo eum Dominus descendere, non enim tulit, vt aliquis ipso prior vmbra crucis ascenderet pro humana salute; Non enim patitur ipse, vt ad

subueniendum humane infirmitati, quisquam velocius ante ipsum properasse quomodocumque aestimetur. Maxime zelat Christus, ne videatur ab aliquo plus admirari nostra salus, quam ab ipso. Cum Petrus quærit de Ioanne: Domine, hic autem quid? Respondit Saluator: Sic enim volo manere donec veniam, quid ad te? Ioan. 21. n. 21. Ad quid tendit hæc indignatio, quid deliquit Petrus in hac interrogazione? Illo interrogatio- nis modo innuebat Petrus, se magis de Ioanne curare, quam Christum, seque maiori affectu in Ioannem ætuare, quam quòd Christus exarde- sceret, non potuit Christus sufferre talem opi- nionem concipi, hinc zelatus Petri feruorem, ipsum castigat. D. Chrysolom. homil. 87. in Ioan. Hic autem quid? Ait; Nam cum nimia id chari- tate diceret Petrus, nec ab eo diuidi velle; ostendens Christus, quod quantavis eum dilectione profe- queretur, suam assequi non possit, inquit: Sic enim volo manere, quid ad te?

Zelat Chri- stus, ne quis videatur plus curare de salute hu- manæ, quam ipse. Ioan. 21.

Chrysol.

43. Chrysol.

Tertiò. In eisdem verbis D. Chrysol. Antea Zachæus, &c. Descensus mandat, ne Zachæus ad labores, & crucem Dominum præcedere vi- deatur. Ecce sibi primatum dolorum quærit Christus, qui resurrectionis formam in alio præ- cedere non detractat. Cum mortuum Lazarum annuntiat discipulis, ait: Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos. Ioan. 11. num. 15. Non gaudet de interitu amici, sed quia citò resurgit, totaque forma resurrectionis in eo resplendens erat. Idem Chrysol. serm. 63. Gaudebat Christus, ait, quia moritur mortis vertendus mox erat resurrectionis in- gaudium: quia in morte, & resurrectione Lazari figura tota mortis, & resurrectionis Dominica pingebatur, & quod erat securum mox in Domino, iam præcedebat in seruo. Gaudet Iesus seruum resurge- re ante ipsum, non tamen suffert, quod Zachæus ante illum crucis vmbra festinanter ascendat, & si in his, quæ sunt gloriæ, & honoris aliis in vmbra primas concedat; quod erat securum mox in Domino, iam præcedebat in seruo. Tamen in vmbra, & morte non sustinet, vt alius primus inueniatur. Antea Zachæus ascendit arborem, quam crucem dominator ascenderet: hinc est, quod dicitur ei, festinans descende.

Ioan. 11.

Chrysol. Bonus primo ceptus primus in morte. in honore suis cedit.

44. Ad summa dignitatum non curandum, sed gradum eundem.

Plinius.

Quartò. Si bene ascenderit, ait citatus Chryso- logus; quare ei dicitur descende? Ratio assignatur in illis verbis: Precurrens ascendit. Ad sublime crucis fastigium non taxatur ascensio, sed ascen- dendi propera festinatio notatur, ad honoris, ac gloriæ sublimia, non præcurrendum, nec prope- rante, ac festinanter eundem est, sed lento, ac vilitato gradu. Maxime laudatur Traianus impe- rator; quod non repente imperator acclamatus est, sed per suos gradus promotus ascendit, nam prius vt miles laborauit, mox Dux creatus, postea Tribunus, ac Legatus, deinde ad imperialem di- gnitatem euahitur, cuius vexilla aquilis magnis resplendebant, vt bene aduertit Plinius in suo ad Traianum Panegyrico: Nec hercule, ait, tantope- re cunctis factum (illius scilicet electio) placeret, nisi placuisset, antequam fieret; à quo temperamen- to, Dux boni, potestatem tuam, fortunamque mode- ratum est imperator? Modestia, labore, vigilantia, Dux, & legatus, & miles; cum iam tua vexilla, tuas aquilas magno gradu anteires. Vide Paulatinum in Indice.

45. Chrysol.

Quintò. D. Chrysolomus homil. in parabola de ficu: Festinans descende, ait: Lepide autem Euangelista Sycomorum dixit, de Zachæo loquens, vt

QUESTIO VII.

Quare Christus ait Zachæo: In domo tua oportet me manere, & non potius: Tua interest in domo tua me manere?

49.

Questio præfens est, quomodo Christus Dominus ait: In domo tua oportet me manere? Christo non deerant multa alia hospiti- tia. Quomodo ergo ait, Oportet me manere? Nam videbatur potius dicendum, quod non Christi, sed Zachæi interesset ipsum Dominum in domo sua recipi, nam ex hoc Zachæus magna donorum vberitate replendus erat.

50.

Respondet primò ad quæstionem Antonius Ghuislandus: Cur dicit, ait, oportet, cum nullus constringeret eum ad ibi manendum? Respondet: Oportet respectu finis, vt scilicet salutem domui tue tribuam. Quia domus illa, in quam non intrat Christus, vel in sua propria persona, vel in per- sona pauperis, non pertingeret, ac præueniet ad æterna tabernacula. D. Chrysol. serm. 54. Cuius domum non intrauerit Christus, ille ad diuinam non perueniet mansionem: & cuius hic ad mensam non sederit Christus, ille cælestem non accumbet ad mensam. Vt ergo Zachæus veniat ad diuinam mansionem, oportet vt in domo sua maneat Christus.

Ghuisland. Pietate in Christum, ac eius pauperes ascendit in celum.

Chrysol.

51.

Secundò. D. Chrysolom. homil. de Zachæo: In domo tua oportet me manere. Considera, ait, ni- miam Saluatoris bonitatem. Non tua, sed Zachæi interest Domine, vt te in domo sua recipiat, & tamen Christus ob suam nimiam bonitatem, ait: In domo tua oportet me manere; infinita bonitas Christi, vilitatem Zachæi veluti suum commo- dum reputat, non expedit Christo, sed publica- no, tamen summa Christi clementia emolumen- tum peccatoris, tanquam suum commodum æstimat, nam impensa misericordia maxime ipse de- lectatur peccatorum venia, qua augustissime eius misericordia resplendet; eminentiæque eius gra- tiæ gloriosè fulgeat, ac niteat, qua ex peccatore fecit iustum, & ex publicano virum probum, ac sanctum. Vnde ipse infra dixit: Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus. Theophylactus: Non dixit, ait, dabo dimidium, reddam quadruplum, sed ecce do, & reddo. Vide infra cap. 39. quæst. 6.

Efficacia di- uina gratia.

Theophyl.

52.

Tertiò. Notanter ait Euangelista: Ingressus Iesus perambulabat Iericho, & in præsentia ait, quod Dominus dixisset Zachæo: Festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Di- ligenter expende, in Iericho perambulabat Iesus, in Zachæi domo manet. Cur Iesus ad Iericho transeunter, ad Zachæum permanentè accedit? In Iericho, in tumultumque ciuitatis, ac popu- lorum transeunter versatur Dominus, at verò in domo Zachæi, in quo significabatur basilica Deo consecrata, ac dedicata, ibi manet, & perseverat. Ecce ego vobiscum sum; vt communiter explicatur in Sacramento altaris, omnibus diebus usque ad consummationem seculi, Matth. 28. n. vlt.

Esti in alijs locis sit Deus transeunter in templo permanes.

Matth. 28.

53.

Maximè gaudet, ac delectatur Deus in templo sibi dedicato, ac consecrato. Postquam taberna- culum constructum, ac piè Deo dedicatum fuit, Exod. 40. num. 15. Statim aduolat supremus, & magnus

ut latam, spatiosamque viam indicaret cum stulti- tia esse copulatam, unde pessimum exitum nascitur. Venit ad firmum Dominum. Hæc sic lata, ac spatio- sa via imaginem præ se ferebat: est enim sicus plan- ta latis frondibus, & prurium excitans: peccatum- etiam prurium excitat per latam, & spatiosam viam ad perditionem deducens. Sycomorus, id est, ficus fatua, vt sæpè dixi, vult sanctus Pater, quod habeat folia lata sicut ficus, per quæ significatur via lata, quæ cum stultitia coniuncta est. Hinc mandatur Zachæo descendere à Sycomoro, id est, à via lata, ac stultitia mundana, vt Christum valeat videre, recipere, ac habere in domo sua.

46. Chrysol.

Sextò. D. Chrysolomus citato serm. 54. Descende ergo, ait, vt deponas tanta fraudis onera, ponde- ra cupiditatis, usurarum molem, magistrum publi- cani, expeditus intres pauperis scholam, discipu- larum misericordiam, pietatis usum, tolerantiam passionum, Philosophiam mortis, atque inter vitalis ligni ardua iam perfectus ascendas. Ex bono mo- tuo ascendit Zachæus lignum, vt auctorem vitæ intueretur; cur ergo imperat, vt descendat? Zachæus nondum valedixerat malæ partè substan- tiæ, quam multam possidebat. Publicanus desi- derabat, crucis gloria sublimari, tamen crucifi- xorum, seu in cruce existentium mores omnino respuebat, qui omnia huius mundi tanquam ster- cora despiciunt, vt Christum lucrentur: Publi- canus adhuc omni lauitia, famulorum gregibus, & mensa ad lenocinia de spoliis pauperum abun- dabat. Inde ei dicitur, descende: valde enim inde- cens est velle crucis gloria insigniri, & à crucis conditione longe distare. Vide in Indice, Pre- mium.

Qui vult gloria sublimari, illius merita præmittat.

47. Chrysol.

Septimò. D. Chrysolom. Descende, vt deponas tanta fraudis onera, &c. Ardua, & alta crucis via, & si viris perfectis, ac consummatis valde vtilis inueniatur, tamen officit viris imperfectis, qui adhuc vltis, & rapinis incumbunt, non enim per illam valent incedere, quin facile prolaban- tur; omittantur ergo rapinæ, & vlturæ, vt in iu- storum viam perfectam valeas proficere.

48.

Diuiditur mare in duas partes, & ingrediuntur Hebraei, vt mandata Dei impleant pergentes in terram promissionis: Tunc Pharaon cum vidisset mare scissum, Hebræosque per medium sicci maris gradientes, ingreditur etiam ipse cum exercitu suo, qui omnes cooperiti sunt aquis, & perierunt. Reuersaque sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites, cuncti exercitus Pharaonis: nec vnus quidem supersuit ex eis, Exod. 14. num. 28. Pharaon multa antea contra Deum fecerat, ac blasphemo ore contra Deum locutus fuerat, multique contra diuina mandata stetit, ac illa contempsit, & tamen nunquam morte mulctatur nisi modò, quæ iniquitas hic apparuit, vt tantam penam pro- mereret? Pharaon in omni nequitia obstinatus audet ingredi viam illam, quam Deus iustis mirabiliter fecerat, & cum esset tanta malitia plenus, per eam non valet pergere, sed potius in ipsa submergitur, ac suffocatur. D. Basilius Se- leucus Oratione, qua probat Deum non esse ma- iorum auctorem: Comperit Deus, ait, Pharaonem patientia, ac lenitatis sua esse contemptorem, ipsoque usu aduersus occalluisse. Et tamen, nec si quidem illum morte mulctauit, donec se ipse submergeret: cum ausus esset præsuperbia, eadem, qua iusti, via insistere; ratus vt Dei populo, sic etiam sibi peruisum fore mare rubrum.

Exod. 14.

Cave à fau- ribus sanctorum, si illo- rum merita non habes.

Basil.